

DISPUTATIO MORALIS
DE
SCIENTIA ET
IGNORANTIA IN-
CONTINENTIS,

QVAM
D. O. M. A.

PRÆSIDE
SAM VEL RACHELIO,
Philos. Moral. Prof. P.

Publico examini Academico exhibet
IACOBVS BENÖER von BENEHAE
Mœno-Francofurtensis.

In Iuleo Majori.

a. d. v Octobr.



HELMESTADII,
Excudit HENNINGUS MULLERUS
ANNO CCCCC LXI.

Philos.

c.

20,40





GENERO SO, STREN VO AC MAGNIFICO
VIRO

DN. CHRISTOPHORO BENDER O
à BRENNECKE
SACRAE CÆSAREÆ MAJESTATIS
CONSILIARIO, LIBERÆ IMPERIA-
LIS REIP. FRANCOFURTENSIS
SCABINO, SENATORI ET
SCHOLARCHÆ,

DOMINO PATRI SVO DEVOTE VENERANDO,

Has Academicæ industriæ primitias ,
præteriti temporis usuram ,
Futurique Spem Exhibentes

L. M.

CONSECRAT

Innumeris beneficiis

&

Verè paterno amore
devinctus

ILLIUS FILIUS

I. B. à B.

Sächsische
Landesbibliothek
Dresden



Σὺν Θεῷ.

THESES I.

T propositum argumentum rectius explicetur, atque omne hoc negotium felicius procedat, commodissime facturos nos esse reor, si actionis Moralis varios diversosque gradus, quam talis, investigemus. Τῆς ἀρέτῆς καὶ τῆς ἄγριας καὶ τῆς περιφέσεως τὸ κύελον, inquit

Aristot. & Nicom. 13 §. ult. h.e. Virtutis

& morum ratio atque vis omnis in consilio est atque proposito. Imò actionistam bonæ, quam malæ principium est consilium, & voluntas, & quidquid ad rationem tendit. ἀρχὴ δὲ εἰς περιφέσην τοῖς σπουδαίασι φαύλης, περιφέσης τοῖς βέλησι, καὶ τὸ κατὰ λόγον πάντα. Ita docet i. M. Moral. 12. & mox c. 13. subjungit, ad id, quod agimus, ab aliquo appetitu nos impelli: ejusque tres constituit species, θειθυμίαν, θυμὸν, βέλησιν, Cupiditatem, Irām, Voluntatem.

II. Res ita se habet. Ut Actio plenum moralitatis gradum in Bonitate adsequatur, necesse est ad sit λόγος, seu Ratio Practica, quæ de rebus agendis aut fugiendis deliberationem aut judicium instituat. Deinde ad sit oportet Appetitus aliquis, cuius motu ad agendum fiat inclinatio. Tum unicè requiritur utriusque ὁρθότης atque integritas, ut Ratio illa & recte de his judicet, & τερπαιρότης uti liberè, ita quoque promptè ac cum voluptate, sine ulla motositate aut tergiversatione, illi judicio morem gerat. Denique

que exigitur, ut quod à Ratione rectè dijudicatum, & à περιέργεσι approbatum atque electum fuit, actione ipsa ex-
primatur, tali judicio tali que electioni firmiter inhærente.
Sic enim docet ὁ Nicom. 2. inquiens, tria in animo esse, quæ
actionis & veritatis τὰ κύρια sint, Sensum, Mentem, Appen-
titum; ex his tamen Sensum nullius actionis principium
esse, quod etiam bestiis communis sit nobiscum. Pergit
deinde §. 5 & 6. Quare quoniam virtus, quæ ad mores pertinet,
est cum consilio seu proposito conjunctus habitus. Consilium autem
appetitus est ad consultationem accommodatus: Idcirco si consili-
um bonum esse volumus, oportet & Rationem esse veram, & Ap-
petitum rectum: eademque & illam adfirmare, & hunc persequi.
Atque hæc cogitatio & veritas ad agendum valet.

III. Ex his requisitis haut difficulter etiam colligi
posse existimo Moralitatis gradus in Malitia seu Vitiositate;
latissimè illa hinc intellecta. Si enim bruto impetu in malum
ruere quempiam videas, ac si omnis Ratio Practica ac περιέργεσι
protrita atque proculata sit, & ipse quasi obbrutu-
erit, nihil humani nisi speciem solum reliquam habens, di-
citur hæc vitiositas θνητότης, Feritas, Immanitas. Atque hi
sunt planè πεπιρωμένοι περὶς ἀρετῆς. Sunt alii, quibus Ratio
Practica ac περιέργεσι superest, iisque in vita operationibus
utuntur, sed frequentata improbitate & adsuetudine
consimili corruptis ac depravatis. Pro Ratione igitur ac
περιέργεσi Recta sibi pepererunt distortam, perversam &
ad quodvis scelus promptam. Hæc Vitiositas in specie di-
citur Malitia seu Vitium.

IV. Tali vitio qui laborant, omnium perniciosissimi
sunt, illis quoque peiores, qui ad Immanitatem usque in
moribus efferati sunt. His enim deest, istis superest no-
cendi principium. Sicuti igitur quis minori negotio ab
incurrente fera sibi caveat, quam homine improbo ex in-
fidiis,

sidiis, iisque saepe inexplicabilibus, nocituro; ita quoque
facilius immanis hominis impetum declinaveris, quam
praefraetè improbi, qui ad omnis generis scelera prom-
ptum ac versutum habet atque exacuit ingenium. In se
sanè atque abstractè Feritatem si consideres, horribilior
humanæque naturæ magis adversa videtur ipso Vitio. At
in concreto seu subjectis si inspicias, damni certè plus ad-
feret, aut saltem inferre poterit Vitiosus Immani. Com-
probat hoc ipsum Philosophus 7 Nicom. 6. sub fin. Est, inquit,
Feritas minus malum quidem vitiositate, sed horribilius tamen.
Neque enim corruptum est in illis id quod est optimum, quomodo in
homine improbo, sed eo carent. Similis ergo fuerit horum compara-
tio inter se, illi, qua inanimum cum animato conferatur, quæra-
turque, utrum eorum sit pejus. Innocentior enim minusque semper
pernicioса improbitas est ejus, quod principium non habet. Mens
autem principium est. Simile ergo hujus fit, Injustitiam cum ho-
mine injusto conferre. Nam fieri potest, ut utrumque altero reperi-
atur pejus. Infinitis enim certe partibus plura mala importave-
rit homo vitiosus & improbus, quam fera. Quippe si Homo
pessimum audit animal, si abusus fuerit solertia ac virtuti-
bus suis naturalibus, quantò majori infamia notabitur, si
ille abusus in improbum habitum adoleverit. Posterioris
notæ homines quo loco sint habendi, ex allato textu per-
cepimus. Iam quoque ejusdem censuram de prioris ge-
neris hominibus accipe ex 1. Polit. 2. sub fin: Quemadmo-
dum perfectum optimum omnium animalium homo est: sic secretum
à lege ac justitia, pessimum omnium. Molesta enim maximè in-
justitia est, quæ arma habet. Homo autem armis munitus nasci-
tur, Prudentia & Virtute, quibus ad contrarias res uti licet maxi-
mè. Quare sceleratum ac ferum maximè est sine virtute, & ad ve-
nerem ventremque deterrimum.

A 3

V.

V. Cæterum , quod dictum est , immanem minus pertiosum esse homine Vitioso , cum aliqua cautione intelligendum est ; nec enim Immanitatis una est species . Exposuerat enim lib . 7. Nicom . esse primò quandam Feritatem , quæ oriatur ex morbo , & humorum ac temperamenti depravatione : quam tamē rectius forsan Morbosam adfectionem , quam proprie Feritatem appellaveris . Deinde est quædam Feritas contracta ex more & consuetudine : atque hæc vel est communis universæ nationi , vel magis propria singulorum . Præterea est Feritas ex depravata natura sive totius alicujus gentis , sive quorundam hominum : quales sunt revera Barbari . Denique est Feritas , quæ à vitio specie non distinguitur , sed tantum per magis & minus , quatenus est ~~υπέροχη~~ atque exsuperantia Vitii . Priores tres species rationis usum excludunt , si non omnino , maximam tamen fere partem : postrema eam non penitus excludit , sed maximè pervertit , maximeque perversa utitur . Priores tres species , ~~νοσηματώδης~~ , ~~σθίση~~ , ~~εὐθεῖα~~ φύσις , minus male sunt Vitio , & de illis hic loquitur Aristoteles : at postrema deterior est Vitio communi ; atque de hac non loquitur hic , sed eam sub Vitio comprehendere videtur .

VI. Denique sunt , qui Rationem Practicam salvam habent , aliquam etiam ei conformem περιάρεσιν , sed minime solidam , firmam aut radicatam , quinimo multis modis impeditam . Unde fit , ut , quamvis scit quæ fugienda quæque sequenda in vita sint , taliaque eligere cupit , ab hoc tamen proposito præcipiti adfectuum vi depulsus , non ita agit , ut iudicaverat , sed quò illum vesanus abripuit adfetus ; sic quidem , ut licet alio animo ac instituto agat , quam Vitiosus , actiones tamen utriusque valde sibi sint similes : id quod festivo Demodoci dictorio illustrat Philosopus

7. Nicom.

7. Nicom. 8. §. 10. dicentis, Milesios non esse quidem stultos,
sed tamen eadem illos facere, quæ stulti. Hoc igitur mo-
do à regula Honestatis exorbitans, Incontinens dicitur, qui
partim scit, partim nescit, quid agat. Etsi enim modo pul-
chrè sibi sapere videatur, & vel versus Empedoclis vel Aurea
Pythagoræ carmina recitet, mox tamen perturbationum
vertigine circumactus ignorat, quo ruat, quidve agat.
Cæterum qua ratione mens ita occœctetur, ac unde ac-
cidat, quod tam lubrico gradu consistat Incontinens,
quid denique sciāt, quid nesciat, accuratius inquiren-
dum est.

VII. Primum igitur videndum est, utrum scientes
peccent Incontinentes, nec ne. Hoc ut innotescat, alio-
rum hac de re placita haut infructuosè excusseris. *η γέρλω-
σις τῆς δύναμος, εὐπεπτίσ ἐπι.* Nam dubitationis solutio inventio est.
7. Nicom. 2. §. ult. Socrates quidem omnino sententiam e-
am, quod quis sciens incontinenter agat, oppugnabat,
uti tradit Aristoteles loco proximè citato, ratione indu-
ctus tali: Q. præditus est re maxime stabili, illa ab alio, ve-
luti luxuriante Appetitu, non potest vinci aut opprimi:
Iam vero Incontinens est præditus re maxime stabili, veluti
Scientia; hanc enim in *Magnis Moral.* rem unam omnium
stabilissimam & potentissimam esse dicit, quæque ab alia
cogi aut superari nequeat: unde sequi videtur, illam In-
continentis scientiam ab alio vinci non posse. Illa vero
Minoris explicatio commode intelligenda est, ne quis pu-
tet Philosophum contraria illis scripsisse, quæ leguntur
1 Nicom. 10 §. 16. Loquitur scilicet Socrates convenienter
thesi suæ, qua vitia omnia ignorantias, virtutes scientias
appellabat. 6. Nicom. 13. §. 15. idemque post illum adserue-
runt Stoici, teste Cicerone non uno loco. Rationem au-
tem, cur Virtus non sit scientia lib. 1. M. Mor. pr. hanc attu-
lit,

lit, ab absurdo consequente. Nam inde effici, homini nullam esse animæ partem, quæ ratione vacet, quod est ἀτοπόν, si virtutes omnes sint scientiæ, quas constat omnes esse in ea animi parte, quæ rationis per essentiam compos est. Eo igitur argumento, quod Incontinentia scientia sit præditus, facile evinci posse Socrates existimabat, non illum alteri alicui rei obnoxium fore, à qua huc & illuc tanquam mancipium impellatur.

VIII. Altera Socratis argumentatio hæc erat: Q. perspicue cernit, quæ mala sunt, & fugienda à sequendis recte dijudicare potest, is minime mala ager: Iam vero Incontinentia tali scientia ac judicio præditus est; non igitur verisimile est illum mala à se judicata nihilominus in vita secuturum esse. Sed audiamus, quid Aristoteles de hac collectione sentiat. Hæc, inquit, oratio (λόγος) ea in controversiam vocat, quæ sunt perspicua & omnibus apparent. Quasi diceret, nihil opus esse operosa & ex intimis Philosophiæ penetralibus petita refutatione, quandoquidem propositum argumentum ipsa confutet experientia: unde enim ἀρεστίας atque ἀρετῶν vocabula extiterunt, si nulla est Incontinentia, si item nemo ex animi impotentia peccat? Quare Medea apud Poëtam exclamat?

*Me rapit invitam nova vis, aliudque cupido,
Mens aliud suadet: video meliora proboque,
Deteriora sequor.*

Sed excipit Socrates, dicitque, si forsitan accidat, ut quis aliter agat, quam sciverit ac judicaverit esse agendum, illud fieri δι' ἀγνοίαν, per ignorantiam. 7. Nicom. 2. §. 4. Sed respondet Noster, simplicem hanc adassertionem minimè sufficere ad faciendam fidem, quin, si perturbatio Incontinentis ab ignorantia proficiatur, ipsum hujus ignorantiae modum esse investigandum, an videlicet & ante factum,

& in

& in ipso facto nihil plane sciat impotens. Duo enim hæc momenta diligenter sunt consideranda, facti, & quod factum antecedit. Hoc enim tempus quod attinet, perspicuum est, Incontinentem id, quod postea ex perturbatione agit, non judicare agendum, sed potius canepetus & angues fugendum esse.

IX. Fuerunt vero alii, qui Socratis rationes, ita quidem intellectas, minime rem confidere videbant, se vero, quadam emollitione atque incrustatione adhibita, rem acu tacturos confidebant. Horum sententia *eod. cap. 2. §. 8. seqq.* proponitur. Haec tenus nimurum Socrati adsentiebantur, Scientia nihil esse constantius ac firmius, sic ut si quis verè sciathoc esse malum, istud bonum, non tantam esse Appetitus vim, ut vel hoc fugiat, istud expetat. Haec tenus vero ab eo dissentivint, quod Opinionem cum Incontinentia in eodem subiecto convenire posse concedant. Quia enim *θέσα, Opinio*, est inchoata quædam ac imbecilla scientia, cum formidine oppositi conjuncta, quia item sæpe homines aliter agere videbant atque judicaverant cognoverantque; hinc Incontinentem non quidem scientem sed opinantem ab affectibus suis vinci ad severabant, ut si is contra faciat, quam existimaverit agendum esse, non sciverit bonum illud fuisse, sed opinatus fuerit. Sed & hanc sententiam à consequente absurdo refellit. Si enim, inquit, Incontinentis non est scientia & firma existimatio, sed levius duntaxat & imbecilla opinio, sequitur veniam illi esse dandam; gravissimis enim cupiditatibus infirma opinione obfisteret nequivit: A. absurdum est consequens; *Improbabilitati enim, inquit §. 12. d. c. 2. non est ignoscendum, neque ulli cuiquam rei vituperabili.* Ut vero declareret, quam Opinionem infirmam ac languidam intelligat, usus est simili, & tanquam manu ipsam monstravit. Qualis enim inquit §. 11. est

B

in iis

in iis mortalibus, qui ambigunt & incertisunt, quid sequantur in aliqua re; neutrum enim eorum, quæ ipsis in mentem venerunt valde defendunt: quale quid etiam significat Comicus: *dum in dubio est animus, paulo momento huc atque illuc impellitur.* Quamvis igitur illi hoc argumento adstruere studebant, ad eum modum exoriri in animis nostris incontinentiam, quia scilicet scientiam contrariarum rerum, boni & mali, ac labem vitii plane cognitam & perspectam non haberemus; intelleximus tamen, qua resolutione hoc à Philosopho exceptum, & consequentis absurditate collecta destruētum fuerit.

X. Ut vero nihil dubitationis reliquum sit, alia quoqueratione illam sententiam evertit c. 3. §. 20. seqq. ubi docet, ad præsentem Quæstionem nihil interesse, utrum quis scientia an opinione fuerit prædictus; nonnullos enim, qui aliquad re opinantur, nihil priorsus dubitare, sed in ea persuasione esse, ut se certò scire putent, ac tales tam constanter adsentiri iis, quæ opinantur quam quæ alii certò sciunt. Argumento adducitur, Heraclitus Ephesius, qui omnia sua decreta, e. si opinione non scientia nisi diceret, tamen tam pertinaciter defendebat ac propugnabat, veraque esse credebat, quam alii Philosophi, qui dogmata sua ex solidis demonstrationibus se scire profitebantur. Sed nemō rectius nos erudiverit Platone de hujusmodi disputationibus, cujus hæc sunt in *Thætetop.* p. 130: *Etenim, ô Socrates, de Heracliticis, vel, ut iuvis, Homeris, ac etiam antiquioribus istis apud Ephesios, eos præsertim qui peritiores videri volunt; non magis, quam apud oestro concitos loquilibet.* Planè enim illorum scripta impetu feruntur. Mora autem exspectatioque in sermone, & quæstionibus, & quies inter respondendum interrogandumque minus illis adest, quam quod nihil. Imo etiam minus, quam nihil: adeo parum viris illis quietis in animo est; sed si quem illo-

rum

rum aliqua de re interroges, tanquam ex pharetra obscura verbula depromentes sagittant. Et si hujus rationem perquiras, altera quadam sed nomine mutato feriunt: nunquam vero cum illorum aliquo quidquam perficies, neque ipsi invicem. Idque unum observantissimè curant, ut nihil stabile aut in sermone, aut in animis suis esse permittant, putantes (ut mibi videtur) id ipsum stabile esse, atque id totis viribus insectantur, & undique vehementer expellunt. &c.

XI. Etsi igitur ingens sit discrimen inter Opinionem & Scientiam, et si item ratione Θεος plurimum intersit, utrum ὁμοίωσις an δημοκρίτειος de rebus agendis aliquid concludas; ipsius tamen περὶ θεῶν ratione nihil ferè interest. Quando enim aliquid agendum est, quod expedire ac in rem esse possit, v.g. si sciam bellum esse gerendum, vectigalia majora exigenda, fœdera cum vicinis ineunda, hoc si ego per ἀπόδεξιν sciam, aliis dicat se opinari; quod ad factum seu περὶ θεῶν, nihil interest, quod ad cognitionis modum, multum interest. Si enim, qui opiniones sequuntur, quæ insimilæ caducæque esse solent, confidentius sæpe quam qui sciunt, contra existimationem suam faciunt, nihil differat haec tenus, sive scientia, sive opinione inducti ad agendum properent. Socrates igitur solum respexit ad ipsum scientem, si is sit ἀμεταπτώτος, cum tamen id, quod cognitione apprehenditur, cum re ipsa quoque convenire debeat. Non enim solum ὁ Κατάπειρος, sed & τὸ δευτέρου suo certo nititur. 1. post. Anal. 2. sub fin. Haec tenus habitam proletariam disquisitionem Græcus Scholiastes εὐκαίρως his verbis claudit: Ideoque id, de quo quæsumus fuit in prioribus, quomodo quis sit id quod est bonum, solvi hac ratione non potest. Quare quo pacto aliter solvi possit, querendum est.

XII. Quemadmodum enim alias, ita & hic Aristoteles duplici disputandi methodo utitur, ut primo quidem

ᾳγλεκτικῶς, deinde περὶ γνῶματικῶς & limationi cura veritatem inquirat. Priorem jam vidimus: quapropter & posteriorem ab ipso accipiamus, quam ut proposito argumento rectius accommodemus, probè erit considerandum. duohic quæsti, primo, An Incontinens sciens peccet, nec ne? deinde, si sciens, quomodo & quatenus sciens peccet? Prioris quidem questionis veritas ex posterioris declaratione facile colligitur; ideoque in hac explananda, ejusque dubiis enodandis præcipue occupatus Aristoteles ἀπεργαματικῶς deinceps progreditur. Quocircatalem adfert distinctionem. *Scire*, τὸ οὐτεροῦ, dupliciter dicitur; nam εἰσ, qui scientia præditus est, nec ea utitur, εἰσ, qui utitur, scire dicitur. c. 3. §. 14. Accepit illam, ut plurima alia à Platone, qui in *Theatetop.* 137. docet, multum interesse inter ἄνθρωπον scientiæ & ἔξω; quemadmodum vestimenti. Scire igitur & is dicitur, qui licet scientiæ habitu sit instruētus, illa tamen non utatur, sed veldormiat, aut aliud agat: qualis est Geometra, qui vel quiescat, vel differat, non vero Geometriam tractet. Deinde & is scire dicitur, qui scientiam non solum habet, sed etiam illa utitur: veluti si medicus medicinam faciat.

XIII. Allatam distinctionem præsenti materiæ jam accommodat. Dicit igitur, si is qui scientiæ habitu sit præditus, contra scientiam faciat, & quidem alia imò contraria, atque præscribat scientia, mirum non esse: at, ut qui scientia utitur, utendo contra faciat, fieri non posse. Hoc ipsum enim agit, ut scientiam ad usum accommodet. Sin Incontinens, (uti hæc applicat Græcus Scholasticus Aspasius, vel quis alius) licet sciat scortationem esse malam, non tamen ex ea scientia operatur, ut abstineat videlicet ab ea re, quam cognoscit esse malam. Quod si habet quidem scientiam, non tamen secundum eam agit, sed à cupiditate tractus

tractus scortatur, nihil mirum esse debet. Pulchritè rem o-
mnia etiam illustrat Paraphrastes Græcus, D. Heinsio
nunc Olympiodorus, nunc Andronicus Rhodius satis te-
merè creditus: *Sicut in Geometra mirum est, si, dum artem tra-
et at suam, falsa colligat, si vero, dum dicit, non advertat, si
quis aliter, quam postulat Geometra, formas consideret, minime est
mirum: eodem modo in incontinentे etiam se res habet. Si enim
sciens, suaque utens scientia incontinentis, & è præscripto ejus o-
mnia considerans, in contrarium ab iis quæ scit deflecat, mirum
id erit: si vero habeat quidem scientiam non utatur tamen, minime
mirandum.*

XIV. Præterea, quotiescumque Incontinentis & ha-
bet scientiam, eaque utitur; si tamen non plenè utatur, nec
id mirum videri debet. Hanc ob causam Aristoteles alte-
ram proponit distinctionem §. 16. c. 3. Præterea, inquit, cum
in Syllozimo Practico duo insint enuntiationum genera, nihil pro-
hibet, quominus is qui utrumque genus tenet, aliquid præter sci-
entiam agat; siquidem enuntiatione universa & generali utitur, non
autem ea quoque, quæ ad res singulares pertinet. Res enim singu-
lares tantum sub actionem veniunt. Primo igitur Syllogismum
dividit in Theoreticum & Practicum. Si enim quæstionem
theoreticam involutam habet Conclusio, Theoreticus; si
practicam, Practicus est Syllogismus. Deinde speciatim
Syllogismi Practici naturam explicat, dicitque, ejus esse
duas περιτταῖς, propositiones seu sumptiones, & harum
περιττῶν duos diversos esse τογῆς. Quippe altera est U-
niversalis, ἡ καθόλης, altera singularis, ἡ καταληπτική. Illa
præceptum aliquod naturæ aliamve legem universali enun-
tiatione complectitur; hæc actionem singularem sub Ma-
joris propositionis subjecto comprehensam subsumit, de
qua tandem affectio demonstrata in conclusione colligitur.
v. g. O. homicidium gravissima poena est plectendum: A.

B. 3

actio

a&ctio Milonis, qua dolo malo & ex insidiis periit Clodius, est quoddam homicidium. E. hæc a&ctio Milonis, qua dolo malo & ex insidiis periit Clodius, gravissima pœna est plementanda. Exemplum syllogismi Practici, cuius Propositio major sit lex civilis, hoc esto: O furtum quinque solidorum pretium exæquans suspendio coercendum est: A. a&ctio Sempronii, qua invito domino rem alienam dolosè in suum usum convertit, istius pretii quantitatem attingentem, est quoddam furtum. E. hæc a&ctio Sempronii suspedio est coercenda.

XV. Hac distinctione ita posita, adserit Philosophus, nihil vetare, quo minus quis contra scientiam facere dicendus sit, etiamsi utriusque sumptionis scientiam habeat, non tamen utraque utatur: ut, inquam, universalis propositionis scientiam & habeat & illa utatur, singularem vero habeat quidem, non vero illa utatur. Hinc ita argumentatur: Q. utriusque propositionis in Syllogismo Practico scientiam quidem habet, singulari tamen non utitur, is adversus scientiam facere dici potest. περὶ τὰς ἔργα, ait §. 18. c. 3. h. e. *actiones enim sunt rerum singularium*: ut, qui singulari propositione non utitur, seu adversus illam facit, is in rebus agendis adversus scientiam facere dicatur. A. Incontinens utriusque propositionis in syllogismo Practico scientiam quidem habet, singulari tamen non utitur: E. Incontinens adversus scientiam facere dici potest. Plurimum vero refert, ut hæc subtiliter atque accuratè dignoscantur. Ita v.g. scire Medicus potest, omnem helleborum bili expurgandæ esse perutilem; sed hoc aut illud esse helleborum ignorare potest, uti særissime accidit. Ita quoque scit in universum febre laboranti non esse lac præbendum: At Mævium febre laborare ignorare eique lac præbere potest. Sic item se res habet in Practicis negotiis;

gotiis, ut Minor περὶ τῶν vel penitus ignoretur, vel agens
scientia hac non utatur. Nam esse tuendam libertatem,
& salutem dignitatemque patriæ defendendam bono viro
civis probo, & se talem perhiberi velle, Cicero non nescit.
At in negotiis & personis quantopere decipitur? quam ge-
rit morem animo suo? tali tempore, modoque, coram ta-
libus hominibus, suscipiens talem causam, & agens pro ta-
libus. Ad eundem modum Incontinens omnia turpia no-
vit esse fugienda: At hoc vel illud factum esse turpe vel
ignorat, vel certè scientia singularis, nimiris adfectibus
præpeditus, non utitur; quod tamen maximè sciendum fu-
it, propterea quod in eo consistet actio, quam constat esse
rerum singularium.

XVI. Eleganter hæc omnia illustrari possunt ex con-
mentatione Iac. Zabarellæ in cap. i. lib. i. post Anal. Verba
ipsa adscribam: *Notare debemus*, inquit, *quod non dicitur ali-*
quid præexistere potestate, nisi aliqua ejus pars præexistat. Nam
si nihil præexistat, non dicitur posse esse, quoniam ex nihilo nihil
fieri potest. *Materia igitur præexistit ut pars quædam rerum ge-*
nerandarum, quæ est potestate res omnis, ac veluti omnium rerum
inchoatio: trahitur autem ab agente ad perfectionem, & ad a-
cclum, & ita res generantur; Sic in propositione Majore, quæ ipsi
materiæ proportione respondet, dicimus Conclusionem in ea latek-
tem præcognosci. Major enim est aliquid ipsius Conclusionis, &
dum Majorem actu prænoscimus, Conclusionem cognoscimus pote-
state: ut si nihil prænosceremus, nunquam Conclusionem discere-
mus, quia ex nihilo nihil fit. Minor autem propositio videtur esse
instar agentis proximi: adjecta enim Minor Majori trahit Conclu-
sionem de potestate ad actu, & de cognita potestate facit actusci-
tam. Hæc ita placuerunt ipsi Autori, ut non solum hoc sed
& duobus aliis locis eadem brevius annotarit, videlicet
p. 638. & 1079. Ex illis vero liquido appetit, quantum mo-
men-

mentum in eo sit situm, si cui quædam ignorantia circa Minorem sumptionem syllogismi Practici oboriatur, etiam si cogitam habeat Majorem: Quæstio enim practica, de qua exercenda per talen syllogismum deliberatur, solum potestate est in Majore, nec actu cognoscitur ab Incontinenti, quod circa proximum agens, Minorem singularem, spissa adfectuum nubes coacta Intellectum obscuratque obnubilet: ut non immerito ille contra scientiam agere dicatur.

XVII. Hic vero scrupulum quendam involvit Aristoteles, quem ejusdem beneficio tollemus. Iam vero, inquit §. 19. etiam iphus Universi sunt aliquæ differentiæ. τὸ μὲν γὰρ ἐφ' ἑαυτῷ. τὸ δὲ οὐτὶ τῷ περὶ ματός ἐπιν. Aliud est enim quod in se ipso vertitur, aliud quod in rebus ipsis. Vis objectivisti argumento colligi potest. Q. novit Universale, is quoque sine dubio noverit singularia, quæ sub illo universali continentur. Omnia enim quæ de Universalibus prædicantur, existunt in singulatibus & per singularia. Et quod de individuis dicimus respectu speciei, de speciebus quoque dicendum est respectu generis. Genus enim non existit nisi in speciebus, nec species nisi in individuis, quæ sola per se existunt. Quare singularia, in quibus omnia inexistunt, sunt principium cognitionis universalium; generis enim definitionem elicimus ex definitionibus specierum, ipsas vero specierum definitiones colligimus ex singulatibus, quæ cum sensilia sint, universæ nostræ cognitionis principium sunt. Incontinentis, ut dictum est, novit Universale, videlicet enunciatum propositionis Majoris, E. quoque singularem Minorem ei subditam noverit. Quo obstante, sequetur, plane scientem agere Incontinentem. Hinc igitur difficultatem ut expedit Philosophus, dicit τῷ φίλῳ, Universale, dupliciter considerari, vel in se ipso, vel

vel in rebus singulatibus. Explicare vult hanc distinctionem tali exemplo: Omni homini sicca prodesse, & hunc esse hominem, authoc esse siccum. Non hic intelligi debet ejusmodi Universale, quod aptum est de multis praedicari; quale est species aut genus: nec illud, quod plurium causa est, licet de pluribus non praedicatur, veluti Deus & materia prima. Solent vulgo dici Universale in praedicando, & Universale in causando. Sunt, qui Universale etiam dividunt in Physicum & Metaphysicum. Hoc vocant, si ipsum Universale, qua tale, praecepsè consideretur ac cognoscatur, sine ulla singularium aut individuorum applicatione. Istud vocant, quando in suis singulatibus existens iisve accommodatum cognoscitur, animoque volvitur. Satisne convenienti hæc divisio appellatione sit insignita, non est anxie inquirendum. Εὐλαβητέον γάρ τὸ περὶ τὸ οὐρανὸν λόγον εἰδεῖν: uti benemonetur i Topic. Rem ipsam videamus. Etsi autem mira cum inter veteres tum recentiores Interpretes ac Commentatores circa hunc textum sit discrepantia, & varia lectio, salvis aliorum sententiis, existimamus tamen, postremam illam Universalis divisionem huic loco esse accommodatissimam. Qua in explicatione ad sentientes habeo cum alios, tum in primis Thomam & Gifanium. Iстius verba adscribam ex Lect. 3. Sciendum, inquit, quod dupliciter potest accipi Universale, unoquidem modo, prout est in seipso, puta si dicamus, quod omni homini conferunt sicca, alio modo, secundum quod est in singulari, puta si dicamus; quod iste homo, vel talis cibus est siccus. Potest ergo contingere, quod aliquis sciat, & in habitu, & in actu Universale secundum se consideratum: sed universale consideratum in hoc singulari, vel non habet, id est, in habitu non cognoscitur in actu. Omnia hæc bene se habent, nisi quod ultima videantur vix mendo vacare, quo circa facilitioris cognitionis causa ita forsan dicendum est: sed

C

Uni-

Universale consideratum in hoc singulari, vel non habet, vel actu non utitur. Accidit enim ut singulare subjectum Minoris propositionis in Syllogismo Practico omnino ignoratur v. g. Medium rationis in omnibus negotiis est tenendum: Jam fieri potest, ut quis dubitet aut ignoret prorsus, an per hanc aut illam actionem Medium rationis sit adsecuturus. Accidit item, ut singulare aliquod subjectum Minoris propositionis in Syllogismo Practico non quidem possit ignorari, interim tamen agens sua scientia non utatur, perturbationum vi praepeditus. v.g. O homo debet esse honestatis studiosus. Minorem singularē nemo hic ignorat, nisi emotæ mentis fuerit: quis enim nescit subsumere se esse hominem? Utriusque generis singularia uni exemplo vindicatur implicasse contorta Aristotelis dictio. Omnia, inquit, siccā homini prosunt. Huic Majori si Minoris singularia subtexas, videlicet, hoc esse siccum, & , hunc esse hominem, circa prius quidem singulare falli mens potest, circa posteriorius non potest. De hisce jam duobus τύποις & generibus ita pronuntiat §. 21. c. 3. Atque ex his duobus incredibile est, quantum differeat in ea hisce rebus exoriatur: adeò quidem, ut si quis ita sciens peccet, nihil absurdum sit; sin illo modo, vaide mirum. Si igitur nimium quantum seu quamplurimum (ἀνώχαρον) distant, utro modo quis cognoscat Universale, praecisene, an rebus singularibus applicatum; facile item intelligitur, quomodo sciens aut nesciens agat Incontinens. Si enim & Universale in se, atque item singularibus accommodatum usurpatumque cognoscat, non potest non scire quid agat. Sin abstracte solum, non etiam per applicationem, quodammodo ignorans agit.

XVIII. Denique tertia adfertur distinctio, ex qua de scientia atque ignorantia impotentis tanto solidior peti possit perceptio. Verba hæc sunt §. 22 & seqq. d. c. 3. Præterea
alio

alio modo fieri potest, ut homines scientia prædicti sint, quam quos modo ante exposuimus. Nam habitum, qui in eo est, qui scientiam habet modo, & non eruditur, aliam magnopere rationem esse videamus: adeo, ut habere quodammodo & non habere ille videatur: qualis est is, qui dormit, & furiosus, & vinoletus. Porro homines aliqua animi perturbatione concitati, perinde ut isti, sunt affecti. Iræ enim & rerum Venearum cupiditates, & nonnullæ hujusmodi animi perturbationes perspicue corpus quoque ipsum immunt, ac nonnullis hominibus etiam furores conciliant. Absq[ue] dubio igitur dicendum est, similiter atque hos, affectos esse incontinentes. Tertia, inquam, hæc est distinctio, vel si mavis, primæ subdistinctio. Dicebat enim in prima, Scientiam aliam esse habitu, aliam usu seu actu: de qua th. 12 & seqq. Hic Habitum Scientiæ ipsum distinguit, & alium dicit esse solutum ac liberum, de quo in prima, alium Impeditum ac sufflamatum v. g. Hippocrates si sanus sit, si siccus, & vigilans, mendendi scientia ac habitu prædictus est soluto ac libero. Ejusdem mens si crapula, si furore aut somno vineta sit, mendendi scientiam ac habitum possidet impeditum ac constriatum. Quo discrimine observato, idem certa ratione scire ac nescire dici poterit. Faciet hujus rei periculum Philosophus in Impotente. Qualis, inquit, est scientia dormientis, ebrii aut furiosi, talis quoque est hominis Incontinentis: Iam vero scientia dormientis, ebrii ac furiosi est impedita, sic ut partim sciant, partim nesciant; Sciunt enim, quantum habitu scientiæ sunt prædicti: nesciunt, quia mens affectuum vi obtusa inexplicabilibus tritis eo quidem tempore illaqueata est, ut habitu suo uti tunc nequeat: Quapropter & hominis Incontinentis scientia talis erit, ut partim sciat, partim nesciat. Sicuti enim somnus, ἀρνία τῆς θυγῆς, torpor ac cessatio quædam mentem occupat. 1. Nic. c. ult. §. 18. Sicuti vinum avidius haustum suis vaporiferis

C 2

exha-

exhalationibus ac vertigine spiritus vitales cerebrumque
occupat atque turbat: sicuti etiam Excandescens fervidi-
ori sanguinis ebullitione accensa mentem in furorem actum
aliquandiu prosternit; ita pari vi, furore ac facibus accen-
tos furere videoas Incontinentes. Quod ipsum vel inde
colligas, ut quemadmodum adfectuum vim passi in corpo-
re quandam simul immutationem patiuntur, ita quoque a-
lius Incontinens palleat ex amore, alius bacchiantum mo-
re insaniat, alius spumanti rictu frendeat, iram & ultionem
spirans, alius vesana lucri initiatione instar strigosi equi gra-
cilescat, pendulifque genis ad captationem hiet. Cæteruni
quid vel in animum, vel in corpus possint adfectus, & quam
varii inde existant mores, cum experientia, tum Comico-
rum Tragicorumque fabulæ liquidò ostendunt. *Dii boni*,
inquit non insulsus Terentianus servus, quid hoc morbi est,
adeo homines immutarier ob amorem, ut non cognoscas eundem esse;
& quæ sequuntur. Perspicuum igitur est ita scire aut nesci-
re Incontinentes, quomodo sciunt nesciuntve dormientes,
ebrii, furiosi, ut scientiæ quidem habitu sint prædicti, sed
compedito, hoc est adfectuum seditiosorum compedibus
constricto, minimeque libero.

XIX. Sed his ex Aristotelis textu §. 27 & 28. objici-
at quis, Incontinentes sæpe numero rationes ac sententias,
τὸς λόγος τὸς δότης ἀριστος, pronuntiare, & licet ejusmo-
di perturbationibus æstuent, demonstrationes & versus
Empedoclis recitare, adeoque videri illos habitu scientiæ
libero minimeque impedito uti. Huic responderi ex eo-
dem rectè potest, loqui sententias, non esse satis idoneum
veræ plenæq; scientiæ practicæ argumentum: id quod ex
diplici simili manifestum esse poterit. Ut igitur pueris suum
ἄλφα γρῖππα ingeminant, literam literæ, syllabam syllabæ,
ac paulatim vocem voci nectunt, atque hæc sua elementa
blate-

blaterant quidē ac conglomerant, minimē tamen intellecta:
Quemadmodum item histriones mores orationesque ho-
minum variè affectorum exprimunt, non seriò & ex animo,
sed per ~~τύπον~~ ad eundem modum etiam Incontinentes,
licet Empedoclis aut Euripidis sententias, licet Salomonis
proverbia crepent, & forsitan non sine vulgi applausu, dant
tamen sine mente sonum, & instar psittaci aut loquacis picæ
illud σπερχόμενος ἐν τηλού, garriunt, non tamē satis intelligunt,
quod nulla absque fide & persuasione possit esse scientia.
Incontinentis vero minime è sibi persuaderi sinit ; hoc enim
sifueret, ageret utique illa, quæ à melioris vadentur.

XX. Hoc ipsum ex Physicis porrò rationibus Phylo-
sophus noster demonstrare annititur, verbis ex § 31. & seqq.
c. 3. petitis: Præterea, hoc etiam modo hujus rei causam è Physicis
spectare liceat. Nam cum opiniones aliæ sint de rebus universis,
aliæ de singularibus, quarum sensus arbiter ac dominus est, necesse
est, ubi ex duabus, una effecta sit, in iis quidem, quæ sunt cognitio-
nis, animum id, quod conclusum est, enuntiare & adfirmare. In iis
autem, quæ sub actionem veniunt, statim agere. Ut, si omne dulce
gustandum est ; hoc autem est dulce, tanquam unum de singularibus:
necessæ est, cum, qui possit, quique non prohibeatur, simul atque di-
clum sit etiam agere. Cum igitur inest menti etiam universa op-
nio, una quæ gustare prohibet: alia hoc, omnia dulcia esse jucunda;
atque hoc aliquid est dulce, (haec porro tertia opinio est ea quæ agit)
Denique cum obtinet fortè in animo cupiditas: ibi tum opinio qui-
dem illa prima hoc aliquid fugere jubet: cupiditas autem trahit ad
illud. Potest enim hæc unamquamque animi partem commovere.
Ita Lambinus & Bergius hæc nobis translata dederunt. Est
hic insignis locus de pugna & colluctatione partium ani-
mæ, Rationis & Appetitus : quam Plato quadrigis aurigæ
moderamen negligentibus comparare solet. Rationi enim
Natura frenum ac regimen tanquam aurigæ commisit in cu-

pidates, his s̄epissime ceu indomitis caballis in diversum
nitentibus. Apud Plutarchum hæc dimicatio navi confer-
tur, cui gubernator præsit moderandæ tanquam Ratio, sed
undique illam fluctus tempestatesque tanquam cupiditates
circumstrepant. Elegans nobis exhibet in Hercule exemplū
Xenophon lib. 2. memorab. & Cic. 2. Offic. de vitæ instituto
consultante. Apud Homerum quoque *Iliad.* & inducitur
Achilles propter ereptam ab Agamemnone Briseida ad-
modum iracundus & extremam ultionem meditans, quem
tamen Minerva (h.e. Ratio) comprehensum placat, & à
proposito revocat. Quia igitur conflictus ille inter Rati-
onem & Appetitum naturalis est, hoc quidem Jucundum,
illa Honestum expetente, rectè ait se etiam φυσικῶς refuta-
turum Platonis assertionem, ac si nemo scientia præditus
contra eam faciat. Est quidem Honestum & ipsum Jucun-
dum, in quo si & Ratio & Appetitus convenient, nulla in-
ter has partes est collisio, sed amicè conspirant. Jucundum
igitur, quod diversum est ab Honesto, quodque ad sensum
& corpus plus æquo pertinet, & Appetitus à Ratione dissili-
dens qualis est Incontinentium, expetere solet, hic intelligi-
tur. Sed jam ipsam illā pugnam extextu allato explicemus.

XXI. Omnis hominis operatio vel ad Contemplati-
onem, vel ad Actionem, vel ad Effectiōnem pertinet. Quid
vero est, quod hominem ad has ἀνέργειας movet? Respon-
det Philosopus *lib. 3. de Anim. c. 10.* edit. Sylburg. c. 11. edit.
Pacii. φαίνεται δέ γέδυο ταῦτα κυρύττα, ή ὅπερις, ή νῦν. Viden-
tur hæc duo moventia esse, vel Appetitus, vel Intellectus. Post-
quam enim in præcedentibus dubitasset de causa motus a-
nimatum, hic rei veritatem explicare vult: qua de causa
duas proponit facultates, quæ dici possint causæ hujus mo-
tus, Appetitum & Intellectum. Ubi monet Intellectus vo-
cabulo se latius hic uti, ut complectatur etiam phantasiam;
nam

nam & hæc ipsa est sæpe causa motus in hominibus, quando non scientiam veramque rationem, sed hanc sequuntur: nec non in brutis, in quibus estphantasia, non ratio. Hinc paulò post repetit: ἀμφω ἀρχα ταῦτα, κυνηγεῖ κατὰ τόπον, οὐς καὶ ὄπεξις. Ambo igitur hæc vim loco movendi habent, intellectus & Appetitus. Mox secernit Intellectum Theoreticū à Practico, ostenditque quomodo sua ratione Intellectus practicus, Αἰσθοτας appellat περιηγητικὸν, quomodo item Appetitus moveat. Hinc post aliqua ita philosophatur: *Intellectus quidem non videtur movere sine appetitu.* Nam voluntas est appetitus: cum autem ratione movetur, etiam voluntate movetur. Sed Appetitus movet sine ratione, quoniam Cupiditas est appetitus quidam. Omnis enim intellectus rectus est, appetitus autem &phantasia sunt & recta, & non recta. Sed quomodo moveat Appetitus prolixè ibi explicatur; nostri vero instituti non est, hoc quidem loco uberior id persequi. Adeat qui volet Julium Pacium, qui tamen ferè Thomæ vestigiis insistit. Solū id ab hoc Angelico Doctore discamus, quomodo ab Aristotele verè dictū existimet, *Omnem Intellectum esse rectum.* Hoc, inquit, intelligendum est de Intellectu principiorum; non enim erramus circa prima principia in operabilibus, cuiusmodi sunt, Nulli nocendū esse. Non esse aliquid in justè agendum, & similia. Sicutinec erramus circa prima principia in speculativis. In his autem quæ sunt post principia; Siquidem rectè consideramus, procedit ex rectitudine, quæ est circa prima principia. Si autem à rectitudine deviamus, procedit ex errore, qui accidit in ratiocinando. Ita legitur in vetusto Codice Venetiis impresso Anno 1481.

XXII. Accommodatissimè vero hac de re disputat lib. de Animal. motu c. 6 & 7. edit. Sylb. & Lamb. latinæ. Cap. 6. hæc legas ex interpretatione Nicol. Leonici: *Omnia animalia cum movent, tum moventur alicujus gratia. Quapropter id illis omnium motionum est finis, cuius videlicet gratia. Animadvertis-*

mus

mus autem cogitationem, phantasiam, selectionem, voluntatem & cupiditatem animal movere: hæc autem omnia ad mentem referuntur, & appetitionem. Sylburgius græcum textum ita nobis dat: ὁρῶμεν δὲ καὶ τὰ κινήτα τὸ ζῷον, γένοις, (καὶ αἰδοῖσιν,) καὶ φαντασίαις, καὶ περιέργεσιν, καὶ βέλησιν, (καὶ θυμὸν,) καὶ θερμίαν. ταῦτα δὲ πάντα ἀνάγεται εἰς γῆν καὶ ὄπεῖν. Pergit deinde: Phantasia enim & sensus cum Mente cundem habent locum, cum judicandi habeant facultatem. Attamen iis distant, quæ in aliis diuersæ sunt differentiis. Voluntas vero, & Ira, & Cupiditas, omnia cum appetitione faciunt. Selectio autem (περιέργεσις) communis est cogitationis & appetitionis, (περιέργεσις καὶ ὄπεῖσις.) Quapropter & ipsum quod seligi potest (τὸ περιέργετόν) Non autem omne ex cogitatione (περιέργετόν) seligibile (περιέργετόν) est, sed rerum agendarum finis. Capite vero 7. ejusdem Libri demonstrat quomodo vel ad contemplandum, vel ad agendum, vel ad efficiendum fiat ab homine progressio: qua cognita, intelligemus deum, quam subtiliter hæc Incontinentibus ab Aristotele fuerint accommodata.

XXIII. Intellectus, inquit, ad contemplationis, actionis aut effectionis ἐνέργειαν ita movet, ut duobus propositionibus utatur, altera quidem Universali, quæ à solo intellectu percipitur, altera singulari, quæ etiam sensu cognoscitur. τῶν γὰρ καθ' ἔκαστα κωνίαιν αἰδοῖσι. Singularium enim arbiter ac dominus est sensus. Hasce propositiones d.c. 7. lib. de motu animal. appellat disertè περιέργεια: & in saepius citato c. 3. lib. 7. Nic. §. 32. vocat δόξας. opiniones. Qua de causa? πάσην γὰρ δόξην ἀκολύθην πίνει, πίστι δὲ τὸ πεπειδαῖ, πεποῖ δὲ λόγος. h. e. Omnem opinionem consequitur fides; fidem autem consequitur esse persuasum: persuadet autem Ratio. uti docet 3. de anima c. 4. edit. Pac. Disputat quidem hic Philosophus ex instituto, phantasiam non esse opinionem, videlicet quod nullum animal brutum habeat opinionem, multa tamen

tamen bruta habeant phantasiam; Interim tamen quia fides
& persuasio est à ratione, non malè hinc colligi posse puto,
 $\pi\epsilon\tau\alpha\sigma\epsilon\varsigma$ ideo dici δόξας, quod propter adsensum iis tribu-
tum, Conclusio ex illis elicita ceu vera ac persuasa accipia-
tur. Ex his enim propositionibus rectè dispositis atque adu-
natis apta est Conclusio, quæ vel θεωρία quandam, vel $\pi\epsilon\gamma\zeta\varsigma$,
vel $\pi\omega\in\sigma\varsigma$ complectitur. Aristoteles quidem generalius
usurpat vocem $\pi\epsilon\gamma\zeta\epsilon\varsigma$, ut comprehendat $\pi\omega\in\sigma\varsigma$, sicuti eti-
am fit. Nie. 2. Hinc c. 7. lib. de animal. motu ita loquitur: Quo-
modo autem intelligens alias quidem operatur, alias vero non opera-
tur? Et movetur interdum, interdum non movetur? Eodem sanè
modo contingere videtur, quo ea quæ immota sunt, cogitatione ra-
tiocinationeque comprehenduntur. Verum in illis quidem Contem-
platio est finis. Cum enim duas intellexerit propositiones, conclusi-
onem sanè intellectu & conjunxit. Hic autem ex duabus propositi-
onibus conclusio fit Actio, $\pi\epsilon\gamma\zeta\varsigma$. Illustrat hæc manifestis mox
exemplis: verbi gratia, cum noverit, omni homini deambu-
landum esse, & se esse hominem; illico deambulat. Si autem
cognoverit, nulli nunc incedendum esse homini, & se esse
hominem meminerit; confessim quiescit: & utrumque facit,
nisi à quoquam prohibeatur, aut cogatur. Comoda res
mihi est facienda; domus comoda est; domum confessim
facit. Integumento corporis indigeo, Tunica est integumen-
tum corporis; tunica indigeo. Quo indigeo, illud mihi faci-
endum, tunica indigeo; tunica mihi facienda, $\pi\epsilon\gamma\zeta\epsilon\varsigma$, o
peratio est. Ubi manifestè claret generalis vocis $\pi\epsilon\gamma\zeta\epsilon\varsigma$ si-
gnificatio. Mox inquit ὅτι μὲν γένη $\pi\epsilon\gamma\zeta\varsigma$ τὸ συμπέρασμα, φα-
νεῖται. Quod igitur Actio sit conclusio, manifestum. Pergit deinde
(integrum enim locum tam insignem dabo) ita: Propositiones
autem facilitæ, ποιητική, ex duobus constant generibus, ex bono sci-
licet, & eo quod fieri potest, $\Delta\lambda\pi\tau\theta\alpha\beta\delta\gamma$, & $\Delta\lambda\pi\tau\theta\delta\vartheta\alpha\beta\delta\gamma$.
Quemadmodum autem qui interrogant, sic propositionum alteram,

D

mani-

manifestam scilicet, cogitatio (in $\Delta\gamma\alpha$) hautquam insistens considerat: Idcirco quæcumque alia nulla ratiocinatione agimus, celeriter agimus. Quando enim aut sensu operatur ad id cuius gratia, aut phantasia, aut intellectu quod appetit, confessim facit. Interrogationis namque aut notionis ($\nu\gamma\nu\tau\omega\varsigma$) loco, appetitionis fit operatio. Bibendum mihi esse dictat cupiditas, Hoc autem esse pociulum sensus, vel Phantasia, vel Mens adfirmat, confessim babitur. Ita sane ad motum & actionem animalia excitantur, cum ultima motionis causa sit appetitio: quæ tamen vel per sensum, vel per Phantasiam, vel Intellectionem efficitur. Quæcumque autem quippiam facere appetunt, partim quidem Cupiditate, aut Ira, partim vero appetitione, (δι' ὀπέξιν) pro qua voce libenter legerem ($\pi\epsilon\gamma\alpha\pi\epsilon\tau\omega\varsigma$). ut Voluntas ate alia quidem faciunt, alia agunt.

XXIV. Redeamus jam his suppetiis opibusque adjuti ad textum Ethicum. Intelleximus hactenus, quomodo non Incontinentes in specie, sed omnium animi vel ad cognoscendum vel ad agendum impellantur. Dum scilicet sunt $\delta\circ\zeta\alpha$ seu $\pi\epsilon\gamma\alpha\pi\epsilon\tau\omega\varsigma$, quibus vel ad cognoscendum vel ad agendum sit opus, universalis una, singularis altera. Ex quibus copulatis connexisque continuò existit $\sigma\upsilon\pi\epsilon\gamma\alpha\pi\epsilon\tau\omega\varsigma$, cognitio, vel actio vel effectio. Actionis hoc adfert exemplum in Ethicis d. l. O. dulce est gustandum: ubi jam quis vel sensu, vel alia ratione hoc aut aliud dulce esse agnoverit, evestigio ad actionem se confert, & gustare cupit; siquidem nihil sit impedimento. Ut enim actiones efficiantur, duo esse necessaria bene supra lib. de motu anim. monebat Aristoteles, bonum & Possibile: quorum contraria nemo nisi stolidus suscipere velit. Quod igitur Incontinentem attinet, ponatur hæc Universalis propositio, eaque à recta ratione profecta, Nullum dulce esse gustandum. Ponatur & altera, O. dulce esse jucundum. Utramque cognitam habet Incontinens. Quia vero Universalis illa $\delta\circ\zeta\alpha$ nondum satis valida est ad actionis summationem, singulari etiam opus est, v. g. generosissimo vino

vino largius se implere est dulce. Hic jam incipit digladiari cum Ratione Appetitus. Ratio enim, pronunciata hac Universali, Nullum dulce esse gustandum, nec admittet etiam hoc esse gustandum; sed fugiendum. Cupiditas vero quia unicè injundum fertur, idque persequendum esse statuit, & hoc dulce esse (fortivino largius impleri) sibi persuasum habet, continuo etiam illud persequendum esse concludit. Imò tam nequam ac versuta est Incontinentis cupiditas, ut, cum sibi adversam videat Universalem propositionem à Ratione dictatam, cui commodè singulare illud delectabile subsumi nequeat, ad grande sophisma confugiat, & aliam Majorem suæ inclinationi velificantem substituat, videlicet, O. jucundum est expetendum: Huic jam sine ulla tergiversatione subnectit, Atqui generoso vino inebriari est jucundum; atque tum ad ipsam Conclusionem exsequendam sine ulla mora properat. Nec cuiquam mirum videri debere ait, tantam esse Appetitus vim; quippe qui non solum mentem turbet, sed unumquodque etiam ex corporis membris ita potest incitare, ut ad id quod appetitur, consequendum festinans feratur. Apparet igitur ex his, quomodo incontinens partim sciens, partim ignorans agat. Novit enim Majorem Universalem, sed ad singularia illam accommodari minimè patitur cupiditas, quæ sèpe ita fervet furitque, ut quantum potest etiam Universalis propositionis veritatem ac scientiam à se amoliatur. Hinc demonstrationem hanc ita concludit c. 3. §. 37. *Ita fit, ut à ratione & opinione quodammodo nascatur Incontinentia.* Ratio Universalis hanc propositionem inculcabit, Nihil dulce esse gustandum, Opinio autem particulatis Hoc esse dulce asserebat: Cupiditas itaque interveniens suo desiderio quam potest propositionem accommodat, alienam ab eo respuit aut neglit; atque ita à ratione & opinione quodammodo nascitur Incontinentia.

XXV. Quantum igitur intelligo, inquies forsitan, rationi, seu opiniorationi adversabitur, & quidem in uno eodemque homine; δέ οντος enim, Opinio, item ad partem hominis λογικήν pertinet? Huic dubitationi ita occurrit Noster §.37 & 38: Non quod Opinio per se rationi contraria sit, sed ex eventu, κατὰ συμβεβηκός. Cupiditas enim, non Opinio, recte rationi adversatur. Nec enim sine causa paulò ante dicebat, à ratione & opinione quodammodo (πώς) incontinentiam nasci: ceu egregiè observatum hic est à Græco Scholiaсте, qui Aspasius prohibetur. Ut ostendat, inquit, non ex ratione universali, & particulari opinione absque ullo medio effici, ut incontinenter agamus, sed cupiditatem intercedere, quæ universalem opinionem & particularem contrarias inter se reddit. Non enim particularis opinio, quæ dicit, Hoc esse dulce, contraria per se est rationi universali, nihil dulce esse degustandum adserenti. Quæ enim inter has esse contrarietas potest? sed ex accidenti contraria efficitur. Nam quia accidit, ut cupiditas cum particulari opinione conveniens, gustatum, ad percipiendum id quod dulce est, cogat: ea de causa particularis & universalis opinio contraria evadunt. Cupiditas siquidem est, quæ rationem universalem opinionemque particularem contrarias inter se facit. Non opinio ipsa particularis per se est contraria recte rationi, id est, universali. Quare incontinentis rationem quidem habet (non autem utitur illa) universalem, Malum esse adulterari, & particulare etiam cognoscit, hoc videlicet esse adulterium, sed à cupiditate invitus (aliquo scilicet modo) movetur, atque ad adulterium perpetrandum inducitur. Hæc ille eruditè juxta ac perspicuè ita explicat.

XXVI. Nec fieri aliter potest, quin, Incontinenti qui nuncupatur, universalis τεχνάστεις scientiam habeat. Si enim cognitionis singularis ad Incontinentiam sufficeret, Bestiæ quoque forent Incontinentes. Sicuti vero hujusmodi bestiarum denominatio ab usu loquendi, ita à vero longissime

mē abest. Hinc ita disputat Philosophus §. 39. Quo circa etiam
propter hanc rationem bestiæ non sunt incontinentes, quia non habent
rerum universarum notionem, sed singularum visionem (φαντασία)
& memoriam. Formula foret hæc. Q. non habent cognitionem seu τύπον universalium, illi non possunt dici Incon-
tinentes: Bruta non habent ὑπότυπον talem; quapropter
Incontinentes dici nequeunt. Aut sanè si illud fiat, & quæ-
dam incontinentia bestiis tribuatur, sit illud quadam trala-
tione. Universalia etenim à solo Intellectu cognoscuntur,
quo quia destituuntur bruta non per διάνοιαν aliquam, sed solo
singulari, unicaque propositione moventur. Sic. v. g. capel-
la ad florentis cytisi depastionem non excitatur tali aliquo
discursu. Q. est jucundum, illud debet expeti. Cytisus est
jucundum quid, Ergo debet expeti. Non inquam brutis
convenit πόσιλον ζεῖδαι, quod omnis syllogismus requirat
aliquam Universalem, universalia vero non nisi ab intellectu
apprehendantur, bruta vero non nisi sensu phantasia ac me-
moria ad rei singularis expetitionem aut fugā ferantur. Quod
igitur sensus seu phantasia illis commendat, confessim sine
ulla deliberatione sequuntur, asinus carduos, vacca trifoli-
um. Sic apes fumum ac fœtorem, sic porci amaracum fugi-
unt. Quomodo recordatione ac memoria moveantur bru-
ta, illustre exemplum est Mulus onustus sale, ut narrat Plu-
tarctus, qui cum fortè amnem transiens in aquam prolapsus
esset, ac sensisset onere se levatum, quoties postea cum sale
traderetur, in aquam demergebatur, donec impositis
spongiis, cum majus deinde onus sentiret, facere id desiit.
Atque in promptu est de animalium historiis plurima hujus-
modi exempla colligere, vel ex unico libro Plutarchi, ex
quo illud de Mulo retulimus, ubi ille comparat in terra &
in aqua degentium animalium intelligentiam seu pruden-
tiam, quærens, πότερον τέρων φρεγημόν πέρος, χερσαῖα ἢ ἔρυθρος;

XXVII. Restat jam ut dicamus, qua ratione illa Incontinentis ignorantia aboleri, & ipse ad scientiam redire soleat. Hac de re ita disserit Aristoteles c. 3. §. 40. Iam quo pacto inscientia depulsa scientiam recuperet incontinentis, & eadem est ratio cum illa, quæ jam exposita est, ebriorum ac dormientium. Et non est hic aliquid hujus perturbationis proprium: eaque doctrina ab iis petenda est, qui de natura rerum disputant. Quomodo scientiam recuperet, indicat hoc loco non explicat. Eadem id fieri ratione dicit, quæ vel ebrius, vel dormiens ad se redierunt; quam enim Incontinentis, eam & horum esse rationem, unam eamdemq; omniū communem, non vero hujus affectionis, hoc est, Incontinentiæ propriam. Verum quia hæc φυσικώτεροί sunt, satis esse credidit in Ethicis hæc attigisse. In Magnis tamen Moralibus brevem hanc licet invenire explicationem, lib. 2. c. 6. medio ferè: Non fuerit alienum, ut Incontinentis habendo scientiam, mali quid agat. Est enim sicut in ebrius, à quibus, cum excessite ebrietas, & ad se redierunt, non excedit ipsis ratio, nec quidem scientia, quæ sub ebrietate delituerat, fueratque prostrata: deinde ab ebrietate immunis, rursus fit, quæ priuserat: Ita habet Incontinentis. Perturbatio enim ubi superior evasit, ratiocinationem rectam facit delitescere: sed si, ut de ebrietate dicebamus, adfuerit perturbatio, rursus ad se redit. Si quis præterea explicationem Physicam desideret, poterit illam apud Græcum Scholiasten & Acciajolum invenire. Notum scilicet est, quomodo obrepente somno, sensus ligari soleant: unde Somnus ligamen externorum sensuum vocatario solet: quo soluto, redit homo ad vigilias, & operaciones, quas somnus consopiverat. Ebrius quoque multa à vaporibus patitur, qui adscensu facto in caput exhalant, spiritus vitales cerebrumque perturbant, organaque illa quibus alioqui ratio utitur, obtundunt. Solutis vero illis vaporibus, redit spirituum vigor & defæcatores meatus, organaque

naque ad operationes exercendas non jam amplius sunt impedita, sed libera. Par ratio est Incontinentis. Scit enim propositiones universales, Honesta esse facienda, Turpia fugienda. Ubi vero ille cupiditatis stimulis pungitur, tanquam crapula obrutus, propositionis illius scientia minimè utitur, imò memoriam illius impetus ille affectum qua potest vehementia excutit, atque ita dementatum in id quod sensui & appetitui placet, quamvis flagitosissimum sit, præcipitem agit.

XXVIII. In universum igitur tam varii Incontinentis mores in tria temporis momenta non incommodè videntur dispungi posse. Primum est, quod præcedit tumultuantum affectum vim: atq; tum ille non minus novit penè singularia, quam universalia, v.g. omnia turpia esse fugienda, & scortationem, & cædem, & furtum esse talia. Alterum est, quando jam in ipso est æstu, & cupiditatū ardore tantū non conflagrat. Tum quidem dormienti aut ebrio per quam est similis, ut licet aliquam rerum agendarum scientiam habeat, jam tamen illa non utatur. Denique tertium temporis momentum post expletum desiderium collocamus; tunc enim paulatim ad se redit, & ad scientiam pristinam, cuius judicio ubi castigari ac terri incipit, facti sui ipsum vehementer sæpe pœnitet.

XXIX. Quæ Socratis apud Platonem sententia fuerit, sciensne an ignorans peccet Impotens, suprà vidimus. Postremò igitur Aristoteles h.c.3. lib.7. Nic. quætit, annon illa Socratica sententia ullo modo excusari ac tolerari possit. Hoc ut callidè obtineat, dicit commoda explicatione eam adjuvari posse. Argumentationis enim practicæ duas esse propositiones dictum est, universalem unam, singularē alteram, & quidem hanc nescire incontinentem, istius vero scientiam habere. Jam vero repetit hic, ἡ πλευταία περί τοις, δέξαται οὐτε, γένεται τούτη περί τοις. Et Metaph. 2. τοκαθ' εγ-

τὸν ἄπειρον γέγοντόν τοι, Singulare infinitum est, & sub scientiam non cadit. Et §. 43. h. c. μὴ δημογόρος οὐδέ τινα δοκεῖ τῷ καθέλει δέσχατος. Non ita scientificus videtur esse Minor propositio singularis, sicuti Universalis Maior. Cum igitur Scientia universalium maxime sit, ceu pluribus docetur in Analyticis: illam vero habeat Incontinens, videtur satis aptè colligi, illum contra scientiam non facere. Verum nihil opus est hisce argutiis. Socratis enim apud Platonem longe alia mens est, quam uti hic nobis à Nostro explicatur. Præterquam enim quod Plato cum alibi tum 3. de Legg. p. 589. πᾶσαν κακίαν appellat gravissimam rerū ignorantiam; etiā in Protagora, unde hanc disputationē petiit Aristoteles, diserte aliter docet. Adscribam quædā verba sub fine illius Dial. p. 212.
Postquam salutem vitæ certum est in recta voluptatis dolorisque electione consisteret, id est pluris, & paucioris, majoris & minoris, propinquioris & remotioris delectu, nonne dimetiendi facultas primo excessus, defectusque aequalitatis item mutuae consideratrix est. PR. Necesse. SOC. Quoniam vero metiendi facultas est, necesse est, ut ars & scientia sit. PR. Annuerit. SOC. Quo vero potissimum haec scientia sit, alias considerabimus. Sufficit enim nunc scientiam esse, quod ad eam demonstrationem spectat, quam ego & Protagoras vestræ eramus quæstiōnati daturi. Hæc autem si recordamini, erat quæstio. Nos quidem consensimus, nihil scientia potentius esse: imò semper, ubique adest, voluptati cunctisque catēris dominari. At vos objecisti voluptatem, saepe etiam scienti dominari. Post aliqua: Actio errans, & quam sc̄ientia non regit, ut & vos non latet, ab inscitia provenit. Quapropter quod dici solet, à voluptatibus superari, extrema inscitia est. Deinde iterum: Quod dicitur, ab adfectionibus superari, nihil est aliud, quam inscitia, & quod ad affectionibus dominari, nihil quam Sapientia. Quis non videt vocabulum Scientiæ hic latius usurpari, & per illam denotari Prudentiam, actionum omniū & adfectuum moderatricem. Ita enim Plato hic suam quoq; Scientiam depingit. Vbi igitur de re convenit, non decet λογικῶν σοφῶν; uti ipse docet Aristoteles. Hæc igitur paulò uberioris de Sc̄ientia & Ignorantia Incontinentis proponere libuit, quod

Omnibus in terris, quæ sunt à Gadibus usque

Auroram & Gangen, pauci dignoscere possint

Vera bona, atque illis multum diversa, remota

Erroris nebula. Quid enim ratione timemus, Aut cupimus?

Usum vero & applicationem vide si lubet in Disquis. nostra Philosophica, de Pœnis, ubi de Culpa ejusq; gradibus egimus.

F I N I S.